



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Exempla, Divinæ Iræ, Per Opera Poenitentiae, Nobis Leniendæ

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§.14. Quot, & quanta damna Animæ peccatum inferat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52193)

contemnit, vt Redemptorem, quia eius redemptionem negligit, nec finit esse efficacē. Spiritum sanctum contemnit, quia omnes eius inspirationes repellit. Contemnit Dei immensitatem, quasi non præsens sit; contemnit eius scientiam & sapientiam, quasi non videat; contemnit eius sanctitatem, quasi non colenda sit; contemnit eius iustitiam, quasi mala non debeat punire; contemnit eius omnipotentiam, quasi plectere reos non mille modis possit; contemnit denique eius misericordiam, patientiam, bonitatem, longanimitatem, quasi non tam diu ad pœnitentiam faciendam expectet.

Quare ita eum Apostolus alloquitur: *An Rom. 2. diuitias bonitatis eius, & patientie, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die ira & reuelationis iustitiae iudicij Dei.*

Hæc sunt intrinseca peccati mala, ob quæ meritò illud fidelis Dei seruus detestatur. Sed & ob effectus, qui ex eo sequuntur, omnibus modis est execrandum. I. Per illud amittitur gratia habitualis, qua homo iustus, Dei amicus, & Dei filius adoptiuus effectus,

XIV.  
Q. OT, ET  
QUANTA  
DAMNA  
ANIMAE  
PECCA-  
TUM INFER-  
BARI

fectus, ex iusto iniustus, ex amico inimicus, ex filio fit extraneus. Gratia enim habitualis, seu donum charitatis, per se & vi Physica, reddit hominem iustum, id est conformem legi diuinæ; cum in ea includatur totius legis diuinæ propositum: adeoq; charitas sit vera iustitia Christiana, quæ est supernaturalis conformitas cum lege diuina. Cum hac gratia & charitate peccator priuatur etiam simul omnibus virtutibus supernaturalibus, præter fidem & spem; quia fit his donis indignus. Cum igitur eodem momento, quo peccator consentit in peccatum, tanta existat in anima eius mutatio spiritalis, cælesti calore & vigore ac pulchritudine supernaturali extincta; hinc adeo horrent peccatum, quicumque sciunt, quid sit peccatum. 2. Non tantum gratiâ hominem priuat peccatum, sed etiam ipso Spiritu sancto inhabitante, qui diuina ordinatione cum charitate coniungitur: quia vult Deus hominem ad gloriæ, & beatitudinis suæ communionem euehere. Qua de causa statuit, vt dono gratiæ habitualis, seu charitatis, donatio Spiritus S. annexa sit; adeoque etiam filiatio, seu adoptio diuinæ, quæ jus diuinæ hæreditatis secum fert. Itaque

que

que charitate ( quæ est vinculum, quo Deus animæ coniungitur ) amissa, soluitur hæc unio, & Deus ab anima recedit, non loco, sed affectu, & cura singularis providentiæ. Ita è filio Dei fit filius diaboli, quia expulsa gratia & charitate, peccatum, tamquam quamdam vitam & formam à diabolo trahit, per quam illi fit similis: immo per peccatum ipse diabolus incipit ( loco S. Spiritus ) in homine habitare, ut eum regat & ad malum impellat. *Omnis enim, qui facit peccatum, ex diabolo est*, hoc est, filius diaboli, quia *in hoc manifesti sunt filij Dei, & filij Diaboli*. Qua de causa ait Servator. *Vos ex parte diabolo estis*. Quis prudens hanc filiationem non detestaretur? 3. Hinc per peccatum homo priuatur jure cælestis hæreditatis, & omnium bonorum, quæ Sancti sunt in cælo possessuri. Quia, soluta adoptione, & perdita filij dignitate, perditur jus hæreditatis, & ex hærede Dei, fit hæres diaboli & omnium, quæ supra recensuimus, malorum inferni. *Si enim filij, & hæredes;* quod in vtramque partem valet, Dei scilicet & Spiritus maligni. 4. Itaque non tantum perditur jus ad cælum, per peccatum, sed etiam fit peccator æternæ damnationis

1. Ioan. 3.

Ioan. 8.

Rom. 8.

**Rom. 6.** reus, quia *stipendium peccati mors*, non tantum naturalis, nec tantum spiritualis, qua gratia extinguitur, sed etiam aeterna illa vitae aeternae opposita quam peccatum per se meretur. 5. Hinc quid mirum si etiam mereatur perdere peculiarem illam protectionem diuinam, qua solet Deus filios & amicos suos tueri, contra insidias & tentationes mali tentatoris, variisque gratiae auxilijs praeveneri? Dignus est enim peccator, qui diuinos instinctus repellit, ut à Deo deseratur, & tamquam mancipium diabolo relinquatur. Hinc in vno peccato non sistitur, de peccato in peccatum itur. Quis non horreat horum effectuum causam? 6. Neque illud est contemnendum, quod peccatum hominem priuet omnibus meritis, ac bonis operibus, quantumvis sint multa & magna; immò si vnus collegisset solus tot merita, quot omnes Sancti simul, tamen vel vnico peccato mortali, omnia illa euerteret, & inefficacia inutiliaque redderet, & quasi mortua. *Si auerterit se iustum à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiae eius, quas fecerat, non recordabuntur.*

**Ezech.**  
**18.**

**XV.**

**A GUTER-**  
**119 PIDE-**

Tot dona & gratias quia amittit, & tot  
damna incurrit peccatum, mirum est, vltim